dum in me non erat quia non est speciosa laus in ore peccatoris; Peccatori
autem dixit deus; Peccatorem vocat reprobum aliquem predicatorem qui alia docet
et alia agit. Bene scilicet predicat et male vivit; huic dicit deus. Quare tu enar-
ras iusticias meas .i. cur eas predicas cum eis contrarius existas; Sciendum autem
quia non prohibet dominus tales predicare sed potius monet predicationi obe-
dire; De his enim in euangelio ait. Alligant enim humeris hominum onera gravia
et inportabilia digito autem suo nolunt ea movere; Que dicunt ergo facite
secundum vero opera eorum nolite facere; Iusticie autem dei dicuntur precepta
veteris et novi testamenti que suos servatores iustificant; Et assumis
testamentum meum per os tuum; Testamentum dei est .i. vetus et novum testa-
mentum; Assumimus inquit per os .i. voce tantum et non opere. ore et non cor-
de; Tu vero odisti disciplinam .i. odibilem habuisti; Disciplina dei est que
iuste peccantes affligit et conversis misericorditer parcit; sed tu utrumque
hoc inquit abuteris; Cum enim parcit insolescis; cum vero pateris murmu-
ras et conquereris; Et proiecisti sermones meos retrorsum .i. contempsisti
tanquam non mei essent sed per te dicti; Si videbas furem currebas cum eo;
I lle cum fure currit et cum adultero portionem ponit qui eis vel favet vel male
assensum prebet; Os tuum abundavit malicia; Illius os malicia habundat qui non solum
peccantem non redarguit verum etiam adulatur ei et sic in malo confortat
quod fortassis non faceret si malum esse cognovisset; Et lingua tua concinna-
bat dolos .i. componebat; Sedens adversus fratrem tuum loquebaris. Frater
et proximus noster est aliquis doctor vel predicator contra quem loquitur qui ei
predicationi resistit qui eius dogmata destruere conatur. Filius matris nostre
est aliquis simplex fidelis contra quem loquimur quando scandalum ponimus quando
docemus aut verbo aut malo exemplo peccare facimus; Et nota quod non dixit stans
loquebaris sed sedens; Quasi enim stans et in transitu peccat qui hec non ex medi-
tacione sed repente et nesciens in peccatum labitur; Sedens vero delinquit

License: cc-by-nc-sa – [sine loco], codices restituti, Lyon, BM, 788, f. 41-48.59-66 + Paris, BNF, Baluze 270, f. 105-106.112-113, LyonBM788_080_43V – Commentary on psalms (https://fragmentarium.ms/view/page/F-73yy/431/6371)